A. 1214 / XII.

CYPRIS TRIUMPHANS,

In,

POLO, & SOLO,

FALCONE STRINGENTE, AQUILA VIDENTE,

LEONE VINCENTE,

EGREGII, HUMANISSIMI, NEC NON GENEROSI JUVENIS

DN: MATTHIÆ HAGARA,

PLURIMUM REVERENDI, & CLARISSIMI VIRI,

D. ZACHARIAE HAGARA

ECCLESIÆ MOSCHOVIENSIS ANTISTITIS GRAVISSIMI & VENERABILIS CONTUBERNII CO-COMITATUS THUROCIENSIS DECANI PRIMARII,

FILII, ut SPONSI,

&,

GENEROSÆ, omniq; Virtutum decore, NOBILISISIMÆ VIDUÆ.

ANNAE ILLAVAI.

quondam,

AMPLISSIMI & PRUDENTISSIMI VIRI,

D. VALENTINI MERCATORIS,

Civitatis Moſchovienſis Civis, & quæſtoris Eminentiſſimi, Conſors,

ut SPONSÆ,

PLENO CORDIS AFFECTU,

CONSECRATA,

M. DC. L. XXII. Febrvarij 20.

FALCO,

Cedite clivoſæ volucres de frondibus Idæ,
Et quas Oſſa fovet, cedite magnus aves.
Cedite quæ ſummum cantu reſonatis olympum,
Aut quas brumalis frondibus Othris alit.
Pergite quas eſca nemoralis Aricia nutrit,
Et quas nidificat Nemea Sylva comis.
Cedite quas lucus ſic dictus nomine Carmon
Maſſeniæ brumæ tempore fronde fovet.
Cedite dilectæ halcyones Thetidi, maris Eurum
Quæ præcantatis gutture ferre novum.
Hagaridum ſoboles Hymenæo ſangvine fluxa,
Eſculea pendet remige FALCO coma,
Cedite quæ crocei convexa feritis olympi,
Plejades alarum verbere FALCO ferit.
Emicat Hagareum gentili ſtemmate nomen,
Nomine quis potuit clarior eſſe Tuo?
Africa quas poterit dives generare volucres,
Has valet Hagareum nobile ferre genus.
Hæret in aereis ſpeculatrix cautibus ales,
Atq; vago viduos lumine tranſit agros.
Exſuperas hanc avem, notat hæc præſentia tantum
Tu quæ facta ſimul, quæq; futura vides.
Quid moror? illuſtres complecti carmine Sponſos,
Omnes gentilis FALCO dirimit aves.
Soliadum feriunt Hagareum plectra vigorem,
Et viduum Sponſæ pulſat Apollo thorum.
Sumite Cythereum ſacræ virtutis amorem,
Creſcet connubio veſter amore thorus.
Sit vobis animus, ſint mores, lingva, fidesq;
Proſperet omnipotens veſtra decreta thori.

AQUILA

Contemplare tuum fulminis alitem,
Alis qui liqvida nube ſuper volat,
Fert ſecumq; crucem, ſidera per vaga,
Stellis inſeritur concilio Deûm.
Qvercus quas habitat Solis avis Jovi
Dictæo rigidas Aſſyrio thymo.
Sacratas, pariter Biſtonia lyra.
Non tardare ſolet, cùm Boreas furit,
Plumis, Heſperii rumpere littora
Ponti, nec metuit præcipitem Notum.
Naſcentis minimè ferre poteſt facem,
Si Diana ſuo lumina ſauciat,
Ejus, tendiculo, lucida Cynthii.
Cur tardas Veneri floribus Africis,
Pæſtanaq; roſa nectere Perſicum,
Sertum SPONSE! Cypris jungitur hæc tibi.
ANNÆ Cythereus rumpit amor thoro,
Depromens avitis Maſſica cellulis,
Et pingvis Phrygiæ Mygdonias opes,
Dum flagrantia detorqvet ad oſcula
Cervicem: aut facili blanditie tener:
Aut urit Veneris candida pectora,
Splendentis Pario marmore purius,
SPONSI, cujus amor pectore labitur.
Invitat volucris gaudia ad thori,
Ut tandem vidui diſſipet Euchius
Lecti, ſacra Jovi, nubila Lesbius.
Deſcendant rutilo, ſidere Cœlitus,
Et dicant tibia Threicia melos,
MATHIAS hymenæum celebrat diem.
Sic vos diva Trias pignore proſperet,
SPONSI, ſicque regant lucida ſidera.

BVB—O, (LEO)

Sume robur Sponſe thori quietus,
Doricos Enſes, teneas in aula,
Ecce Getulus LEO minaces,
Fertur in arcus.
Cæcubam & prelo domitam Caleno,
Tu bibas uvam, ſine pavore.
En LEO ardentes acuens Saryſſas,
Cote cruenta.
Beſtiæ nolo Phrygiæ ferocem,
Vatibus pugnam lyricis notare,
Inter audaces Lapithas mucrone,
Tutior errat.
Non timet dirum Annibalem, nec ipſum
Sarmatam, cinctum Clypeo Creteenſi,
Nec Getam jaculo Sagittæ,
Beſtia Pœni.
Non eget Mauri jaculis, neq; arcu,
Dianam torquere ſuam ſagittam,
Ipſe deridet, numerans ſuperbos
Cæde triumphos.
Sume robur, Sponſa venit, Marite,
Et torum lætus celebres cum Nupta,
Sis ferox bello, tuus acer,
Te LEO ſignat.
Pone magnos hic potius triumphos,
Hic ames dici LEO Getulus,
Nec ſinas errare tuam Maritam,
Dogmate Sacro.
Di probos mores docili juventæ,
Di ſenectuti placidam quietem,
Di Fidem, ſponſis date, remq; prolemq;
Et decus omne.

Andreas Parvi Aln: A. S. S.

Solnæ Ex Officina Typographica Johannis Dadan.

„Régi nyomtatványok, Bratislava-Lyceum” (1303.19.31)